



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. cxxxiiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Vt illi quibus vxores ducere licitum non est, aliorum nuptias deissent. Cap. CXXXII.*

*Ex epist. Leonis papa, ca. 10*

**Q**VIBVS licentia vxores ducendi non est, alienarum nuptiarum euitent conuiuia.

*Quod non oporteat in bigami nuptijs prandre re presbyterum. Cap. CXXXIII.*

*Ex concil. Neocaesarea, ca. 7.*

**P**resbyterum in nuptiis bigami prandre non conuenit: quia cum poenitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui, propter conuiuium, talibus nuptiis possit praebere consensum?

*De eadem re. Cap. CXXXIII.*

*Ex dictis August.*

**P**resbyteri, diaconi, subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores non est licitum, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, neque his coetibus admisceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obsceni morum corporum choris, & saltationibus efferuntur: ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluat.

*De eadem re. Cap. CXXXV.*

*Ex decre. Martini papa, ca. 1.*

**N**ON liceat sacerdotibus, vel clericis aliqua spectacula in nuptiis, vel conuiujs spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula surgere, & redire inde.

*Vt nullus clericus in aliena ciuitate suscipiatur sine commendatitijs epistolis. Cap. CXXXVI.*

*Ex canone apostolico.*

**V**T si quis clericus aut laicus ad alteram properauit uitatem, & suscipitur praeter commendatitias epistolas, & qui susceperit, & qui susceptus est, communicatio priuetur.

*De eadem re. Cap. CXXXVII.*

*Ex concil. Antioch. cap. 27.*

**N**ulli peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitijs suscipiantur epistolis.

*De clericis fugitiuis, ne ab alijs recipiantur.*

*Ex concil. Aurelia. cap. 3.*

**I**N concilio Antiocheno simul & in Chalcedonensi praecipitur, ut fugitiui clerici & peregrini a nullo recipiantur, nec ordinentur, nisi cum commendatitijs literis, sui episcopi vel abbatis licentia.